





VII. v. 950.







DISSERTATIO JVRIS GENTIVM PUBLICI,  
DE  
**POSSESSIONE**  
EIVSQUE EFFECTIBVS  
**INTER GENTES,**

*QVAM,*  
**DIVINA FAVENTE GRATIA**  
IN ILLVSTRI ACADEMIA MARBVRENSI  
PRAESIDE

**JOHAN. WILHELMO**  
**Maldschmiedt /**

V. J. D. PROFESSORE JVRIS ET PHILOS.  
PRACT. ORDINARIO,

AD DIEM 2. JVNII MDCCXVII. H. L. Q. S.  
PUBLICÆ VENTILATIONI SUBMITTET

*A. & R.*  
**JOHANNES DE ZIEGLER,**  
SCAPHVSA HELVETIVS.

*MARBVRGI CATTORVM,*  
Litteris PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad. Typ.

DIVINITATIS MARIAE GENTILICII HYMNI  
DE  
POSSSESSIONE  
INTERGENITES

DIVINA LAVARENTE GRATIA  
IN ILLUSTRI AC DEDICATA MARIANENSIS

JOHANN WILLEMO

ADQUIRENDI

UT ID PROFESSIONE IARS ET PHILOS  
TRACI ORBICULARIO

ET PLATONIS ET PLATONIS  
PHYLICAE AVENTIATIONI SUBMITTET

JOHANNES DE SIGELER

SCABRHAUZ HEERLICHAU

PROLOGUS

LUDWIG GRIMMEL MULIERE AGIT TIB

¶ ( 3 ) ¶



## P R A E F A M E N.



Nter alia complura, quæ superiori seculo Disciplinis honestioribus accessere, incrementa, non minimum illud est, quod *Jurisprudentia Naturalis*, e tenebris in clarissimam lucem produci, & magis magisque excoli coepit. In ipsa quoque prælaudatae Disciplinæ cultura, qui partem illius, quæ *publica* est, doctrinæ Politicæ temerè olim admistam, repurgare, ac solidioribus principiis superstruere, professâ etiam operâ allaborârunt, egregiam planè præstiterunt operam. Quando autem eidem *Jurisprudentia Publica*, thema pro Specimine Academico selectum adscripsimus, non equidem ignoramus complures Viros Doctissimos

) ( 2

in ea

in ea sententia esse , ac si actiones Gentium  
inter se , nec publicæ , nec privatæ sed liberæ  
dicendæ sint; enim verò ista libertas non obstat,  
quo minus controversiæ , quas inter se agitant  
populi liberi , quique in populis liberis sum-  
mum imperium obtinent , publicæ dici que-  
ant , quatenus non suscipere illas , nisi publi-  
co auspicio , non persequi , nisi publico con-  
filio , non expedire nisi publicâ auctoritate fas  
est. Publicæ , inquam , sunt , quia illis su-  
prema in Republica , atque adeò ipsius Reip.  
potestas publica originem , publica salus men-  
suram formulamque subministrant: nec de  
privatis civium patrimoniis , sed de Gentium  
nationumque publico dominatu disceptan-  
tur , ad quem populorum obsequia , provin-  
ciarum commoda , terrarum proventus , re-  
gionumque termini pertineant. Nihil pro-  
inde mutamus , quin potius , Jura in Natura  
radicata , quæ inter Gentes peræquè custo-  
diuntur , indeque recepto passim *Furis Gen-*  
*tium* nomine indigitantur , quatenus nego-  
tiis & controversiis diversas Gentes interce-  
dентibus , moderandis præstituta sunt , non  
minus publica esse arbitramur , quam quæ sta-  
tum

rum ac contextum unius ejusdemque civitatis attinent. Et nunc, Divinō imploratō auxiliō, rem ipsam statim aggredimur.

*Q. D. B. V.*

Uemadmodum Gentes universæ orbem veluti urbem communem habitant atque patriam, & Jus in natura positum, non solum hominibus singulis præscriptum, sed etiam inter Gentes diversas vim suam, longè latèque patentem, efficaciter exserit: ità quoque præcepta æterni illius Juris, non solum qua singulos obligant, sed etiam quatenus in multitudine collectos respiciunt, ubique ferè eadem sunt; ut ut pro circumstantiarum varietate, alia atque alia Juris regula non raro applicanda veniat. Idemque exemplo *possessione*, de quâ intuitu Gentium integrarum in præsens acturi sumus, plenius apparebit. Priusquam verò destinata componamus, non abs re erit, de possessione ejusque origine generalia nonnulla præmittere.

§. II.

Ea nimirum Sapientissimi Creatoris prævida fuit cura, ut naturam hujus universi, (à perfecta omnibus numeris absolute elegans Latinis mundum, ab ipso ordine, quo nihil ornatius, Græcis μόριον, velut ornatam quandam ordinationem dictam) ità instrueret, quo ex tanto, tamque consummata artis opere, summus & omnipotens artifex: ex

¶ 6 ¶

productione rerum in suo pondere, numero & mensura ju-  
stissimis, architecti mens immensa: ex elementorum mita  
temperie, vis suprema: ex motuum cælestium certa vicissi-  
tudine, ac stabili lege, motor ipse immotus: ex pulchritudi-  
ne, elegantia & bonitate rerum omnium, unum solum bonum,  
fons omnis bonitatis, inde derivatae, elucesceret. In-  
primis verò ex humani tam corporis, quam animi admiran-  
dis, auctor omnium D E U S, manifestè spectatur. Omnes  
denique res creatas in scitissimo suo ordine sapientissimè ipsis  
præstitutos suos habere fines, quotquot nostrum ad spectan-  
dam artificiosissimam mundi machinam oculos attollunt,  
agnoscunt omnes. Dum verò hominem, mundi civem, ex-  
ternis auxiliis indigentem, iniò peritum, nisi rebus extrin-  
secè assutis uteretur, eadem Divina sapientia creavit, satè  
ipso factò declaravit, noluisse ut frustrè periret, sed, ut reli-  
quis creaturis uteretur, in quantum illæ ad noxam avertendam & commodum hominis promovendum facerent omni-  
nò voluisse: atque adeò res creatas, ut bonas & pulchras,  
ità homini utiles, & præter Divinam gloriam, ut humanis  
necessitatibus inservirent, potissimum conditas esse, sicque à  
Creatore (cujus absolute dominio subjectæ) ejusque conces-  
sione demum procedere, ut homo eas occupare & usibus su-  
is applicare licet posset.

§. III.

Proindeque initium possessionum humanatum, ab  
actuali & corporali detentione, cum animo sibi habendi con-  
juncta, unicè arcessendum est; & sicut Divina effecit con-  
cessio, ut licet res occupemus, ita occupatio ipsa voluntatis,  
indeque procedentis facti humani opus est. Quando autem  
ad ipsam possessionis definitionem proprius nunc accedimus,  
diversis

diversis illis significationibus, non immorabitur, quas vocabulum hoc apud JCros, Romanos in primis, patitur, dum v. gr. præter detentionem cum animo sibi habendi conjunctam, pro qualibet detentione cum restituendi facultate conjuncta, vel etiam pro nuda rei custodia, nec non pro ipsa re possessa immobili sumitur, quæ quidem vocabuli ambiguitas difficultem possessionis definitionem aliás reddit. Quin potius ad primævam *possessionis* originem & quatenus dominia rerum inde cooperunt, unicè respicientes, eam describimus, quod sit: *facultas naturalia rem corpore tenendi, cum animo sibi habendi.* Duo nimis rūm sunt, quæ ad possessionem conjunctim requiruntur, facultas naturalis & animus tenendi, eaquæ, in actum deducta, omnem illius formam absolvunt. Prout enim animus, qui facta distinguit, possessionem omnino omnem in tantum animat, ut cui is deest, agrum v. gr. possidere non magis videri queat, quam lapis agro incumbens, aut viator transiens, nudumque factum à mentis directione haud procedens, conditionem rei, in quâ est, mutare non valet, coquè ante omnia voluntas rebus utendi, easque ut nostras possidendi, nostrisque usibus asservandi præcedat necessè est, & hoc intuitu, sine affectione tenendi, non magis quem possidere, quam si dormienti in manum quid possum sit, rectè pronunciat l. i. §. ff. de acqu. vel amitt. poss. Itâ vicissim, voluntas illa in animo retenta, intuitu aliorum hominum nihil operari posset, indeque ut factum detentionis, ceu signum animum declarans, occupationi aut translationi possessionis accedat, eamque perficiat omnino requiritur. Id quod ipsa vocis proprietas quoque arguit, quæ ex verbis posse & sedere composita est, sicque per siffonem, ceu speciem præcipuam, omnem corporalem detentionem exprimit. Unde simul apparet, eam possessionis indolem esse, ut in se spectata

## ¶ 8 ¶

spectata meri facti sit, ita ut injustissima quoque possessio, & quæ mera injuria est, verissima tamen possessio sit, & invasores, aliquique malæ fidei possessores, scientes, rem ad se non pertinere, vere tamen & plenissimè possideant. Quanquam enim ipsa facultas rem ejusque possessionem occupandi, ceu supra vidimus, juris permisivi & à DEO concessa sit, ipsum tamen factum hominis, quô mediante jus concessivum applicatur non juris, sed res facti est, cum non à parte concedentis, sed apprehendentis interveniat. Eadem tamen jus applicatur, & re ad judicem vel arbitrum delata, ceteris paribus, remedii juris, ad instar juris defenditur, quoad de jure cognitum ac decisum fuerit. Etenim jure adhucdum dubio ac controverso, naturali ratione planè necesse est, spatiuum aliquod indulgeri, quo explorari & inquire jus controversum posit, rem verò interea non mutari, sed in eodem statu relinqu, adeoque cum, qui tenet, interim in possessione defendi, quoad de jure constet, ipsa æquitatis ratio postulat. Indeque quod possessio ex jure mutuetur, dicitur in l. 49. de Acquis. & amitt. poss. Vid. illuſtr. Coccejij Differat. de jure ejus quod facti est. ſect. 3.

## ſ. IV.

Quando autem solidè doctus Huberus de Jure Civit. Lib. 2. ſect. 4. cap. 6. possessionem per detentionem rei corporalis, cum animo sibi aut alii rem habendi definit: addens, eti coloni, commodatarii, usufructuarii, magis in possessione esse, quam posidere dicantur, eos tamen rem teneat cum hoc effectu, ut illis ante finem juris, quod in rebus habent, eripi nequeant, nihilque adē obstat, quo minus possessio ipsis adscribatur, cum jus possessionis ad pacem generis humani maximè pertinens, id potissimum operetur,

ne cui

9

ne cui res possessa, priusquam liqueat, alterum habere jus  
potius, eripiatur; ejusmodi vero jus potius, commodatarios,  
colonos, reliquosque alieno nomine possidentes, non  
modo praे extraneis, sed etiam praे dominis res suas repeten-  
tibus, ante finem juris, ad usum, aut detentionem, sibi con-  
cessi habere. Hac omnia tamen iis, quæ s. precedente po-  
suimus, parum obstant, præterquam enim, quod cuncta eo  
redeant, utrum vocabulum possessionis, in sensu latiori, pro  
nudâ detentione accipi queat, in quô nemo facile refragabi-  
tur, sufficere nobis potest, quod coloni, commodatarii, cre-  
ditores, felique rei alienæ possessores alium rei dominum  
agnoscere necessum habeant, ut ut pro tuitione juris sui, de-  
tentionem rei in se derelinquere nec velint, nec peræquè  
teneantur. Ut jam non dicamus, usufructuarios, ut & cre-  
ditores intuitu pignorum, non satis rectè detentorum reli-  
quorum classi adscribi, quippe qui non nudam saltēm deten-  
tionem, sed possessionem cum jure in rem ipsam competen-  
te conjunctam habent. Proindeque divisioni possessionis in  
naturalem & civilem, quam Huberus ibidem addit, heic  
loci non immoramus; nec quoisque singuli possessores  
privati, intuitu tam bonæ, quam malæ fidei teneantur, nunc  
quidem prosequimur, quin potius ad Gentes integras u-  
niçè intenti, quid circa eas, quoad possessionem vel acquiren-  
dam, vel retinendam, vel recuperandam juris sit, paulò ple-  
nius dispiciemus.

### §. V.

De possessione itaque intuitu Gentium integrarum  
hic acturi. Gentem non ut scopas dissolutas, ex multis  
hominibus consistentem, nullo civilis imperii vinculo colli-  
gatam consideramus, quin potius eō nomine multitudo ho-

B

minum

minum ordine imperantium & parentium constans, quæ  
Politici Respublica audit, atque adeò civili imperio anima-  
ta est, indeque persona moralis dicitur, hic unicè indigita-  
tur. Ubi quidem primo loco illud prætermittere non pos-  
sumus, quod Grotius de J. B. & P. Libr. II, cap. 3. §. 19.  
num, 2. afferit, interdum primas acquisitiones à populo,  
aut populi capite ita fieri, ut non tantum imperium, cui  
jus illud eminens inest, sed & privatum plerumque domini-  
um primum populo, aut ejus capiti, queratur, post deinde  
particulatim ita fiat distributio, ut tamen singulorum domi-  
nium, ab illo priore imperio dependeat, si non ut Jus vasalli  
à jure senioris, aut jus emphiteutæ à jure proprietarii, tamien  
alio quodam tenuiote modo. Non equidem restagamur, ta-  
le quid aliquando contigisse, eoque exemplum Germaniæ  
populorum sub antiquissimo ævo, quod allegat, pertinet,  
de quibus Tacitus refert: quod agros pro numero cultorum u-  
niversi occupaverint, eosque mox inter se secundum dignatio-  
nem partiti sint. Idem quoque à Francis aliisque Germaniæ  
populis medio ævo factitatum fuisse constat. Quando au-  
tem Grotius d. l. cap. VIII. §. 9. addit: si id, quod plerum-  
que sit, respicimus, prius populos terras occupasse, nec im-  
perio tantum, sed & dominio, quam in privatos agri descri-  
berentur, in eo ipsis assentiri non possumus, ut ut enim vel  
maxime largiamur, ex patribus familiarium paulatin Reges  
fuisse factos, magis tamen naturale, indeque facilior conje-  
cta est, coituros in societatem suas jam habuisse posses-  
siones, & ex occupatione aliove titulo quæsita bona aliqua,  
quam planè nulla. Certe idipsum adeò universale non est,  
ut regula aliqua pro stabiliendis juribus majesticis minori-  
bus, à Grotio d. l. ex hoc capite efformari potuerit.

§. VI. Pri.

S. VI.

Priusquam vero ad alia pergamus, ante omnia dispi-  
ciendum erit, quam relationem summa potestas, quā Gen-  
tem, in Rēmp. collectam, animari diximus, ad terrarūm,  
nec non populūrū nationūque possessionem habeat? Ubi quidem pro certo collocamus, jus illud, quod D E U S  
in terrarūm orbē hominib⁹ concessit, non tantū singu-  
lorū dominia producere, sed etiam ad publicam tutelam,  
& juris atque justitiæ administrationem comparata imperia  
sustinere. Etenim impleto hominib⁹ terrarūm orbe, im-  
perium neque communi omnīum per universam terram di-  
spersorum consensu, uni summo inter homines imperanti un-  
quam delatum est, nec deferri ullā ratione potuit, cum nec  
decreta, si vel maximē uni populo ejusve rectori committe-  
rentur, ad omnes terrarūm partes deferri, nedum ubique lo-  
corum ad effectum & executionem perduci possent. Inde-  
quē ipsa natura necessitas eō rem deduxit, & homines ade-  
git, ut partes magnæ illius societatis fierent, atque in plures  
civitates, certis terrarūm finibus & regionibus circumscriptas  
concederent, quarum singula suum πολιτεύμα, summum-  
que imperium intra fines istos continerent. Eoque intuitu  
illa imperiorū regnorumque divisio Juri Gentium recte ad-  
scribitur in l. 5. ff. de J. & J.

S. VII.

Isthac verò summa potestas, quæ vinculum illud est,  
per quod Respublica cohæret, spiritus ille vitalis, quem hæc  
tot millia trahunt, quō sublatō integra Respublica nihil per  
se futura esset, ejusque unitas & contextus in multas partes  
dissoliret, cum ipsa terrarūm regionūque possessione adeo

connexa est, ut territorio ipsi inhæreat, & quoad omnes res in eodem constitutas, omnes personas inibi commorantes, omnesque actus in eo gestos, summo jure fundata sit, quin & extra fines territorii se non extendat, ut potius imperans ipse, intuitu imperii, extra illos pro privato habeatur, cum imperans absque parentibus cogitati nequeat. Unde sub nomine possessionum, ipsa terrarum imperia Ciceroni & aliis probatis auctoribus pasim denotantur. Et quanquam vide ri posit, personis potius, quam terratum finibus, summa imperia terminanda esse, quia tamen supposita genetis humani divisione in plures gentes, terrarum finibus invicem discetas, societas cuiusque gentis, intra fines sui territorii subsistit, iisque quoque summum imperium ejusque ambitus meritò includitur.

### f. VIII.

Instituti ratio nunc eisdem haud permitit, ut de modo constituendi civitates pluribus hic disquiramus, quâ ratione ipsa natura, ordine & ductu suo, satis declaraverit, se velle, ut inter homines justitia administretur, Leges Naturales facta serventur, & à contentu, ac interitu vindicentur; summamque adeo inter homines potestatem esse deberet, quæ malum præsens à singulis avertere, & communis utilitatibus ac juri reluctantibus infligere possit. Non vacat etiam, ut operiosius nunc inquiramus, quâ ratione civitates ipsa per pacta coalescant, iisque mediantibus summa imperia deferantur. Quin potius ad naturam & indolem summæ potestatis unicè intenti, eam in juribus majesticis, ceu partibus suis consistere, & eorum exercitio mediante, totius regionis possessionem obtineri posse, firmiter persuasi sumus. Neque enim, ut imperantes terras sibi delatas obeant, & ad possessionem

nem acquirendam, per singulas provincias ambulent, quisquam facile desiderabit. Unde simul judicari poterit, an & quousque JCTorum assertum, apud Klockium *Volum. I.*  
*Consilio VII. num. 840*, admittendum sit, cum in quasi possessione totius provinciae esse, qui possessionem obtinuit civitatis, quæ totius provincia caput est, & Principem aliosve imperantes, ingressu civitatis principalioris, cum animo possessionem apprehendendi, debitoque apparatu, totius provinciae possessionem sibi acquirere. Idque de casu, ubi nemine contradicente apprehensio facta, & quando res à civitate illa dependentes, nemo preoccupavit, demum intelligendum esse, idem auctor *num. 846*, monuit & res ipsa loquitur.

## §. IX.

Qua ratione verò regionis non habitatæ, aut desertæ, nec non ab hostibus infestæ, possessio acquiratur, scorsim dispicere lubet. Et illarum quidem, ut dominium, ita possessio, mediante solâ apprehensione acquiritur. Ita verò apprehensio in mobilibus sit dimotione à loco, vel appositione custodis, in immobilibus ingressu, cum animo sibi tenendi. An & signorum impressione possessio, eaque mediante dominium acquiratur, sub notissimo exemplo Andriorum & Chalcidensium quæri solet, cum enim utrique, memorante Plutarcho in *Quæstion. Græcis Oper. tom. 2. pag. m. 296.* novarum sedium quærendatum causâ, in Thraciam profecti essent, ipsisque renunciatum, barbaros urbem Acanthum dereliquerunt, misere speculatores, qui fugâ hostium & solitudine animadversâ, cepere cursu contendere, uter urbem derricktam prior occuparet. Chalcidensis cum perniciate viniceret, Andrius vibravit hastam, quâ portis infixâ, exclamavit,

se jaculō, Chalcidensis contrā se corpore prævertisse, suæque genti urbem deserram acquisivisse. Enimvero, ut ut signorum impressione rem occupari, eoque possessionem acquiri posse, ultro largiamur, quoties res in præsentia & potestate nostra constituta, sed loco in continentī moveri, & actualiter possideri nequit, v. gr. signatione arborum &c. Attra-  
men in casu proposito cum Andriis nunc facere non possumus, cum urbem, quam emissarius ille jaculo signaverat, in potestate sua nondum habuerint; jaculum quoque occupandæ rei immobilis non satis idoneum instrumentum videtur. Et quanquam controversiā istā coram arbitris ventilatā, Andrii sententiarum numero vicent, ut Plutarchus d. l. addit, re-  
gius tamen judicasse eos, qui Chalcidensibus urbem ejusque possessionem adjudicarunt, facilè apparebit, si quidem mo-  
menta in utramque partem ab Ærodio rerum judicat. Lib. V.  
tit. 21. cap. 1. adducta, invicem contendantur. De acquisitionibus bellicis, Grotius Lib. III. cap. 6. §. 3 4. ita judicat:  
res mobiles demum captas censeri, ubi intra fines & præsidia hostium perductæ fuerint, immobiles vero ubi vallo, aliisque mansuris munitionibus cinctæ fuerint. Quousque vero id ipsum ad acquisitionem possessionis applicari possit, facilè intelligitur, etenim quod exercitus hostilis eam regionis partem, quam cum magna vi ingressus est, & animo sibi tenendi oc-  
cupavit, interim vere possidat, nemo temerè negabit, ut ut ad stabilem & duraturam firmitatem, nondum sufficiat.  
Conf. 1.18. §. 4. de A. vel A. P. Denique nec illud præter-  
nittere possumus, quod sicut aliás singuli privati, non tan-  
tum per se ipsos, sed etiam per alios possessionem acquirere valent, dum ea, qua naturaliter acquiruntur; velut possessio,  
per quemlibet, volentibus nobis possidere, acquirimus l. 53. ff.  
de A. R. D. ita quoque summis potestatibus, per admi-  
nistros,

nistros, per milites proprios, velut instrumenta, per socios, nisi causa belli communis sit, possessionem regionum occupatarum pariter acquiri.

## §. X.

Pergimus ad effectus planè memorabiles, quos possessio inter Gentes operatur, & primò quidem illa omnia hīc denuo usuveniunt, quæ de natura & indeole possessionis jam supra adduximus, dum Gentium diversarum intuitu, pariter ex jure mutuatur, ut ut in se meri facti sit, & possessio sine jure, quosdam tamen juris effectus habet, ut Grotius ait, Lib. I. cap. IV. §. 20. Hinc, inquam, sit, ut pro possessore regionis stet præsumtio, isque titulum suæ possessionis edere non teneatur: quo pertinet, quod apud Pufendorfium Rer. Brandenburg. Lib. 18. §. 15. legitur: *iniquissimum esse, immemorialis, quin plurium scelerorum possit esse, nixot, ad editionem suorum titulorum contra omnia iura cogere, hoc enim modo omnes totius orbis possessiones & dominia incerta redditum iri.* Eādem ratione suboris inter Gentes controversiis, privati sibi arbitrium sumere haud possunt, sed præsentem possessionem sequi tenentur, vid. Grotius Lib. II. cap. 23. §. fin. Et quanquam aliâs in causa dubia utraque pars conditiones, quibus bellum vitetur, querere teneatur, magis tamen teneatur, qui petit, quam qui possidet, cum non tantum civili, sed & naturali ratione, in pari causa melior sit conditio possidentis, idem Lib. II. cap. 23. §. XI. Pariter nec ideo inter Gentes possessio desinit, quia injusta est, sed & invasor aut usurpator regni alieni, verissimè tamen possidet, dum animal ac facultatem sibi tenendi habet. Extranei quidem, quamvis possessionem illam, quæ notoriè injusta est, sequi non teneantur, possunt tamen, si velint, uti si necessitate quādam

dam ducantur, vel utilitas suæ Republicæ id exigat. Quam in rem Wicqnefort de l' Ambassadeur & ses fonctions Lib. I. sect. 3. ità dissertit: *Les Princes à qui on envoie des Ministres n'ont pas accouumé d'examiner les titres de ceux, qui les emploient, ils se contentent, d'en considerer la puissance & la possession, bienque sans la consideration de l'intérêt, ils ne se pressent pas trop de reconnoître l' usurpateur.* De cetero, sicut lex Naturæ de non lædendis aliis, Gentes pariter, ac singulos obligat, ità quoque ab omni læsione, ablatione aut turbatione invicem abstinere tenentur, quamdiu pax servari, aut obtineri potest, nec dubitandum, quin defensio possessionis legitimè qualitatæ, justam belli causam præbeat. Conf. Grotius Lib. II. cap. I. §. 2.

### §. XI.

Quantum porrò momentum legationibus, iisque index ceremoniis, & aliis similibus juribus actus possessorii adferant, si alia rerum testimonia deessent, vulgatum illud: *in rebus ceremonialibus, non rationem, non dignitatem, non potentiam, sed solam possessionem valere, satis arguit.* Et sicut in rebus corporalibus possessio (qua propriæ ad illas restringitur) apprehensione acquiritur, ità in incorporalibus, quarum quasi possessio in L. L. dicitur, *usus, exercitium, actus* sunt loco possessionis. Ut autem ejusmodi actus cum effectu allegari possint, debent esse legitimi, sciente & patiente eo, ad quem legatio destinata gesti, nec non ut is, qui actum possessorium allegat, eum jure suo exercuerit, hoc est, ex facultate sibi competente, qua obligationem in altero producat, quâ pati, vel agere quid teneatur, quæ enim ex liberali tolerantia, & urbanitate facta, vel concessa sunt, non æquè proficere valent. An verò quis actum suo jure, non

non ex indulgentia alterius exercuerit, illud non solum expressa agentis declaratione, sed factis quoque declarari potest, si nimurum Legatus in ista honorum exhibitione cultaque, sollicititudinem suam palam ostendat, caveatque modis omnibus, ne ex curialibus quidquam omittatur, vel indignationem animi, si non satis honoratum se existimet, sufficienter contestetur, nec non si titulos & honores sibi delatos, veluti rem optimo jure debitam suscepit. Vid, Culpis de Legationibus Stat. Imp. cap. 20. ubi quot actus requirantur, nec non an actus ab uno Principe vel Republica exerciti, alii in pari conditione positis, prosint, vel noceant, pluribus disquirit.

## §. XII.

Insignes quoque possessionis effectus se exserunt, intuitu præscriptionis. Sicut enim hodie inter omnes ferè, in confessu est, diuturnam possessionem validum dominii, vel imperii titulum gentibus liberis, earumque rectoribus conciliare posse; ita præscriptionem istam, inter Gentes locum habentem, possessione ejusque perenni continuatione potissimum initi, res ipsa loquitur. Dum autem fundamentum & indeolem istius præscriptionis, quidve ad derelictionem pristini dominii inferendam requiratur, pluribus hic expendere non vacat, illud pro instituti ratione saltē addimus, possessionem perperuam, & constanti juris tenori, semper usurpato, nunquam intermisso, innixam, etiam jure Gentium requiri, desultoriam verò & interruptam ad præscriptionem non sufficere. Interruptio verò possessionis, non solum fit, provocatione ad arbitrum, aut per actualem pristini domini apprehensionem subinde factam, quod Numidæ excipiebat adversus Carthaginenses, per opportunitates temporum, nunc it-

los, nunc Reges Numidarum usurpasse jus, semperque penes eum possessionem fuisse, qui plus armis potuisset, de quibus Grotius Lib. II. cap. 4. §. 9. sed & aliis idoneis juris conservandi rationibus, fieri omnino potest. Sanè ubi juris sui retinendi, quis verè idonea signa edit, tunc si vel maximè alter, in possessione actuali subsistat, eadem tamen ad præscriptionem inducendam proficere haud poterit.

## §. XIII.

Sequitur, ut dispiciamus, quā ratione possessio, & animo & corpore quæsita, inter Gentes retineatur. Quanquam verò initium possessionis ab actuali & corporali detentione necessario fieri debeat, ad illius conservationem tamen non requiri, ut actu secundo & exercitio rei semper insistamus, aut nobiscum testudinum instar circumferamus, ipsa humanarum rerum conditio, cuique facile insinuat. Rationi quoque, perinde ac juri Civili conveniens est, ut per aliorum ministeria possessionem retineamus. Unde simul liquet, solo quoque animo, possessionem retineri, quamdiu facultas actu possidendi, plenè sublata non est. Sicque eorum intuitu, qui possessionem nobis auferre conantur, eam tamdiu retinemus, quamdiu rem custodimus, eoque pertinet illud Xenophontis apud Grot. Lib. IIII. Cap. VI. §. 4. agri possessionem, belli tempore per munimenta retineri. Et vicissim, si animum' possidendi quis amiserit, ipsam possessionem quoque amitteret, ac si vel maximè corpore in fundo maneat, hospitis instar saltē in eo subsisteret. Multò magis itaque facultate naturali rei insistendi penitus sublatā, possessio amittetur, id quod Dn. Coccoeus *sapra alleg. Dissert. Secunda, IV. & V.* professâ operâ prolixè exposuit. Eoque casu nec insignia, nec tituli, nec inscriptiones, ut possessio conservata videatur efficere

efficere valebunt; quanquam enim insignia inprimis, usu  
recepta sint, ut dominiorum ac possessionum signa essent, &  
pro eorum argumentis hoc ipso haberi coepint; vim ta-  
men probandi tamdiu saltēm habebunt, quamdiu de amissa  
possessione, non aliunde constat; fieri enim potest, ut re du-  
dum amissa tituli tamen & insignia remanserint. Ut ut de  
cerero ultrō largiamur insignia, titulos & similia ad jus quo-  
situm conservandum, & præscriptionem impediendam insi-  
gnes non raro effectus producere.

*f. XIV.*

An autem ea, quae de acquirenda vel retinenda terra-  
rum, regionumque possessione hactenus dicta sunt, & mari  
quoque conveniat, priusquam ad alia pergamus, paucis adhuc  
considerabimus. Ubi quidem, quae circa occupationem  
maris, & armis, & calamis, dudum olim ventilata sunt, hūc  
non repetemus. Quando autem in isthōc dissensu verissi-  
mum reputamus, non tantum maria particularia, sed & va-  
stum Oceanum occupari posse, cō quod vastitas & amplitu-  
do ejus, occupationem non prorsus impossibilem reddat,  
nec omnem proprietatem excludat, nulla etiam appareat  
prohibitiō, nullaque dari possit ratio, cur jus in terram ho-  
minibus concessum, non etiam quoad mare ipsis competet, re-  
cum mare si pars terrae: Ulrici Huberi, nec non Cornelii  
van Bynkershoek, bigae solidissimorum JCtorum, singularia  
argumenta, quibus occupationem & dominium maris, im-  
pugnatū iverunt, pro instituti nostri ratione, prætermittere  
haud possumus. Et ille quidem *de Jure Civit. Lib. II. Sect.*  
*IV. cap. 2.* inter alia obmota dubia, illud in primis urget,  
quod mare ob vastitatem & fluiditatem occupari, & posses-  
sionem recipere nequeat, ac quod si ibidem dicta, in unam

summam colligere velimus, sequens inde resultabit argumentum: *qua res jure Gentium non recipit possessionem, et nec dominii capax est.* Atqui mare non recipit possessionem, *E. nec dominii capax est.* Majorem putat claram esse, eò quòd naturalis causa, quin & effectus dominii sit, ut res existat, in potestate nostra, eiique insistamus. *Enim verò hæc tanti nondum videntur, ut propterea sententiam, quam professi sumus, deseramus.* Primo enim gratis supponit Huberus, necessarium dominii effectum esse, ut rei propriæ semper insistamus, nec cogitat in dominio, non solam naturalem, sed & moralem facultatem spectandam esse. Sanè possessio in relatione ad dominium, ita spectanda est, prout cuiusvis rei naturæ est conveniens. Sufficit, inquam, ad constituenda dominia, cuique rei ille possessionis modus, per quem, illâ liberè uti fruique licet. Sicut itaque facile concedimus, *quod res, nullo prorsus modo possessionem recipiens, nec dominii capax sit,* ita vicissim negamus, omne jus dominii ab actuali possessione semper dependere; quin potius, si quis iusta occupatione, aliòve titulo, dominium alicujus rei sibi semel acquisiverit, sufficiet, si liberè eam possideat, ubi velit, & ubi possessio atque usus ad dominium vindicandum necessaria fuerint. Hisque præmissis, minorem propositionem mare non recipere possessionem, Hubero pernegamus, quod enim classe, exercituque maritimo, occupari, & sic etiam, quoties usus postulaverit possessio exerceri posse, talisque possessio mariæ naturæ conveniat, dадum probavit Strauchi *us de imperio mariæ cap. 5.* Illud verò ultrò fatemur, apprehensam mariæ possessionem, non àquæ facile retinet, aut probari posse, quam occupata terra; &, ut universum mare ab uno populo occupetur, per rerum naturam impossibile esse. Celeb, Binkershoek, quod attinet, is in Dissert. de *imperio*

21

*imperio maris*, Huberi vestigiis instituit, illud in suâ hypothesi  
quâm maximè propugnans, quòd Jure Gentium possedit  
solo animo non retineatur, & haec tenus possessionis continuatio,  
sit meri Juris Civilis. Quandoquidem verò illius argumen-  
tis illustris Thomasius, in notis ad Huber. d. l. & Titius in  
dissertat. de dominio in rebus occupatis ultra possessionem du-  
rante ex ase fecerunt satis, iisdem heic loci diutius non im-  
moramus.

§. XV.

Superest, ut quâ ratione amissa possessio, inter Gen-  
tes recuperetur, edisseramus. Quanquam enim, ceu supra  
vidimus, in summa possessionis, iusta, an iusta sit, non re-  
ferat; plurimum tamen refert, intuitu Legum Divinarum,  
Gentibus liberis, earumve rectoribus præstitutarum, ceu qua-  
rum ipse D E U S acerrimus vindex est. Cum autem in his  
terris, communem suaque conditionis judicem non reco-  
gnoscant, non alia via superest, quam ut vel armata manu,  
quâ rigidâ jus dicitur ene, vel arbitri electione, vel paetio-  
nibus sibi consulant & amissa recuperare studeant. De bel-  
licâ occupatione jam supra diximus. Quoad arbitros  
verò Grotius Lib. IIII. Cap. XX. §. 48. singularem hanc pro-  
ponit observationem, quòd, quanquam aliâs vulgata juris re-  
gula sit, spoliatum ante omnia restituendum esse, attamen  
arbitros lectos à populo, aut summis potestatibus, de prin-  
cipali negotio pronunciare debere, non de possessione, cum  
possessoria judicia Juris Civilis sint, Jure Gentium possiden-  
ti jus dominium sequatur. Atque adeò dûm causa cognoscitur,  
nihil innovandum esse, tum, ne præjudicium fiat,  
tum, quod inter Gentes perdifficilis possessionis sit recuperatio.  
Ne autem frustrâ hac talia dixisse videretur, addit-

C 3

Gro-



Grotius exemplum controversiae, inter Masinissam Numidiae Regem & Carthaginenses, coram Romanis disceptatoribus, agitatæ, in qua, cum utraque pars de possessione contendet, Legati tamen Remani, (referente Livio Lib. 40. cap. 17.) possessionis jus non mutatunt, sed causam integrari, Romam ad Senatum, rejecerunt. Quodsi autem exemplum hocce rem non confidere videatur, non solum ob conditionem litigantium, quorum utraque pars, majestatem populi Rom. comiter observare tenebatur; sed etiam quod in *Excerptis Legationum Polybii nomen præ se ferentibus, cap. 128.* dissentè memoretur, *Carthaginem, in litoribus istis, deterior rem causam fuisse, non quia justis desicerentur, sed quia è sua judices existimarentur, ut sic judicarent.* Huic, inquam, & aliud, non minus memorabile, exemplum Commentatores Grotiani suppeditant, controversiae inter Henricum IV. Christianissimum Galliarum Regem, & Ducem Sabaudiae, circa Principatum Saluciæ, in qua, Pontifice arbitro electo, cum Rex peteret, ut possessioni ante omnia restitueretur, Sabaudiæ Legati, nihil magis urgebant, quam quod insuper habito possessorio, super ipsa regionis proprietate statim pronunciandum sit, ajentes: *juris regulam, spoliatum ante omnia restituvi debere, non ut in privatorum causis, sic inter Principes observari solere, qui possessionem potissimum juris partem repudient,* vid. Thuanum Lib. 122. ad ann. 1599. Mathieu Histor. Lib. 2. ad d. ann. Serran. sub Henrico IV. His omnibus tamen haud attentis, Zieglerus ad d. verba Grotii, dissensum suum, non obscurè subindicat.

## §. XVI.

Enimvero ut ut ratio, quâ Grotius uititur, ac si iudicia possessoria solius Juris Civilis sint, examen non ferat, & hacte-

haec tenus recte prælaudatus Zieglerus in alia omnia abeat; rem ipsam tamen quod attinet, sicut per arbitros, non nudos pacis conciliatores, sed eos, qui ex compromissio assumuntur, ut suâ sententiâ controversiam finiant, hic intelligimus, ita pro sententia Grotii stabienda, plures suppetunt rationes, tum ne quidquam innovetur pendente causâ cognitione, tum ne litigantes, non sinè armorum periculo, diutius in suspenso hærent, aut publico malo ab arbitris recedant, tum quod inter Gentes, possessionis, quâ quis decepit, difficilima, ceu supra jam monuimus, sit recuperatio. Add. Hartm. Pistor Lib. IV. quest. 10. num. 25. & sequ. Aliud tamen dicendum esse, si arbitri cum in finem lecti sint, ut de possessione pronuncient, tunc eos super possessione pronunciare omnino posse, & teneri, res ipsa loquitur.

### §. XVII.

Succedunt denique pactiones pacis, quibus medianibus restitutio possessionis pariter obtinetur. Et fieri quidem potest, ut in tractatibus & conclusionibus præliminaribus, seu primo pacis apparatu, per modum conditionis, sinè quâ alterutra pars in pacem non est consensura, de amissa possessione statuatur. In ipsa verò actione pacis, possessiones rerum, in bello turbatas vel ex formula juris antiqui componi, aut ut res maneant, suo loco, ἔχεται, οὐ ἔχεται, observat & pluribus explicat Grotius Lib. II. Cap. 20. § 11. 12. 13. Quæ singula latius prosequi, tum & reliqua, quæ supersunt  
huc conducere, nunc quidem non  
licet.

*T A N T U M.*

COROL.

## COROLLARIA.

I.

*No*n datur Jus Gentium à Jure Naturæ recipſa diſiui-  
dum.

II.

*Dominium rei occupatæ, etiam per mudam promis-  
ſionem, citra abdicationem corporalem naturaliter transire  
potest.*

III.

*Eam pignoris ſpeciem, qua hypotheca audit, inter  
Gentes liberas inutilem eſſe, afferit quidem Pufendorf. de  
J. N. & G. Lib. V. Cap. X. §. 16. rationes verò, quibus uti-  
tur, id non evincunt.*

IV.

*Pœnas natura ſpecificè quidem non determinavit,  
præcepit tamen, ut omnis injuſtitia & injuria inter homi-  
nes aboleretur, nec non ut proportio ſit inter delictum &  
eius coercitionem.*

V.

*Pœna homicidiis dolofis Jure Divino poſitivo preſti-  
tuta, nec mitigari, nec remitti potest.*

VI.

*Transitus per alienum territoriū innoxiuſ, ſuisque  
cautionib⁹ munituſ, non ſolū debetur, ſed etiam in caſu  
juſte neceſſitatis, jure perfecto peti, vi armisque vindica-  
ri potest.*

00 A 6299



V01P

V017  
Dkho





B.I.G.

Farbkarte #13



DISSERTATOI JURIS GENTIVM PUVLICI,  
DE  
**POSSESSIONE**  
EIVSQUE EFECTIBVS  
**INTER GENTES,**

QUAM,  
**DIVINA FAVENTE GRATIA**  
IN ILLVSTRI ACADEMIA MARBURGENSI  
PRAESIDE

**JOHAN. WILHELMO**  
**Waldschmidt/**

V. J. D. PROFESSORE JVRIS ET PHILOS.  
PRACT. ORDINARIO,  
AD DIEM 2. JVNII MDCCXVII. H. L. Q. S.  
PUBLICÆ VENTILATIONI SUBMITTET

A. & R.  
**JOHANNES DE ZIEGLER,**  
SCAPHVSA HELVETIVS.

MARBURGI CATTORVM,  
Litteris PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad. Typ.